



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV.,
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges
Francorum, Carolvm Martellvm, ...**

Gretser, Jacob
[München], 1613

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)



AD LECTOREM.

AVETO, amice Lector, bonam *scenam*, si Catholicus es, tibi apporto. Si Nouator, magnum forsitan malum tibi afferri arbitraberis. Vt cunq; sit; en tibi Indiculum, quot cuiusque Pontificum Epistolæ in hoc Volumine insint.

Gregorij Tertij,	II.
Stephani Tertij	VIII.
Zachariæ	I.
Pauli Primi,	XXXII.

Quamuis vna ex istis scripta sit ad Pipinum communi nomine senatus & populi Romani.

Stephani Quarti	V.
Adriani Primi	XLIX.

licet vna ex istis communi Cleri nomine ad Carolum Magnum data sit.

Constantini Antipapæ II.

Quarum omnium summa Centuriam efficeret, si vna adhuc Epistola accessisset. Ex quibus septenæ forsitan, aut non multò plures leguntur iam, partim Tomo IX. Annaliû Illustrissimi Baronij, partim Centuria VIII. Magdeburgensium cap. 9. quas præterire nefas duxi, ob reuerentiam Caroli Magni, quis enim seiungat, quas tantus Monarcha vno in volumine copulari voluit? Neque tamen in hac sylloge ratio temporis ad-

B modum

modum accuratè seruata est; nam Epistola Zachariæ Pontificis interijcitur Epistolis Stephani Tertij, cum tamen certum sit, Zachariam Stephano priorem fuisse. Constantini etiam Pseudopontificis geminæ Epistolæ inter Paulum & Stephanum IV. locum obtinere deberent; cum Constantinus post Pauli obitum Cathedram Apostolicam inuasit; & tamen ad calcem libri reiectæ sunt; qui *Neophytus* appellatur, quia Laicus cum esset, & omnis penitus clericalis consecrationis expertus, à turbulentis quibusdam ad supremum hoc Apostolici officij culmen, nefaria temeritate euectus est, successu parum prospero; vix enim annum, vnumque mensem, in hac tam excelsa specula confederat; & ecce ruina atque inimum præcipitatio. Quae de re legi potest Baronius Tom. IX. Anno Redemptoris D C C L X V I I I.

Sed ut ad Epistolas Pauli Pontificis accedamus, Centuriatores Cent. 8. cap. 10. scripta huius Pontificis recensentes, ita scribunt, vel potius calumniantur: *Pontificij collectores Tomorum Conciliorum videntur consultò Epistolas Stephani II. & Pauli, Stephani III. Constantini & Adriani omisisse: ne Pontificum artes & fraudes in Francis dementandis, & iniuste occupandis bonis imperij, pateficerent.*

Cæterum hanc putidam criminationem vnus, omnium loco & nomine, satis superque refellit Illustrissimus Baronius, flebili illa sua threnodia, quam texuit ad annum Christi D C C L X V I I. eo, quod Pontificis huius Pauli Epistolas adipisci non potuerit; ut taceam, similem lamentationem ob Epistolas Adriani Pontificis ad Carolum Magnum non repertas; quarum omissione existimabat, Annales suo præclarissimo

mo ornamento carere. Accipe, Lector, ipsius præstantissimi Cardinalis verba, & iudica, num Pontificij de industria huiusmodi Epistolas oppresserint.

De Pauli rebus gestis opulentiozem tibi apposuissimus mensam, si Epistolas ab eo scriptas ad Pipinum Francorum Regem, & alios, reperire potuissimus, quarum duntaxat argumenta summatim perstricta & recensita vidimus, à Panuino in *Visis Romanorum Pontificum*, easq; integras haberi in *Vaticana Bibliotheca* testatur: Verùm easdem diu questitas minimè inuenire valuimus, ut, eas vel furto, vel alio aliquo modo inde sublatas existimemus. Caterum nihil est, quòd eius fides possit in suspicionem adduci, cum & earundem totidem numero argumenta pariter recitènt *Novatores*: qui pertasi prolixitatem atq; multipliciter pariter, sed magis veritatem, non ipsas integras, sed ipsarum argumenta tantummodò edidit: quæ si non simul congesta, sed per annos singulos, quibus sunt data, digesta fuissent, non fastidium, vel nauseam legentibus attulissent, sed maximam voluptatem; utpote, quòd ex eis epistolaris historia, quæ ceteris veritate & sinceritate præstat, ignota hæctenus, fuisset egregiè concinnata: quod, nec tu negaueris, cum earundem argumenta perlegeris, quæ hic tibi subiicimus, ne ieiunum penitus dimittamus, quem opiparâ mensâ, (quod optassimus) excipere non conceditur. Sed & ex his quoque intelligat, & fateatur, licet inuitus, quam benè, & optimè de Ecclesiasticis antiquitatibus mereatur, qui, non fragmenta, vel argumenta reddat Epistolarum, sed ipsas integras edat, non amplius perituras, cum sic earum perpetuitati benè consulat, dum eas in *Archiuo* recòdens, consecransq; immortalitati, conseruet posteris integras.

Posthæc idem *Baronius* viginti nouem Epistolarum Pauli *Summaria* seu *Periochas* recenset ex *Onuphrio*; quod & à *Centuriatoribus* factum, licet ipsi

P R A E F A T I O

viginti septem solummodo Epistolarum synopsis
 adferant; & præter has, trium aliarum ad Carolum,
 & Carolomanum meminerint, insuper etiam Epi-
 stolæ ad cunctum exercitum Regni Francorum. Quas
 omnes in hac nostra Editione Lector inueniet. Maxi-
 mam certè reprehensionem merentur Centuriato-
 res, qui cum, vt palam scribunt, triginta & vnâ huius
 Pontificis Epistolas manuscriptas accepissent, ne vnâ
 quidem suis Centurijs inseruerunt, cum tamen alio-
 rum quorundam Pontificum Epistolas, & quidem sa-
 tis prolixas, recitare haud grauati fuerint. Forsan ti-
 mebant, ne Lectores ex lectione tot Epistolarû, quas
 Pontifices ad Pipinum, & alios Francorum Principes
 dederunt, nimis apertè intelligerent, quanto in pre-
 tio Sedes Apostolica summis Principibus fuerit, Lu-
 therumq; cum suis in Pontifices Romanos Diabo-
 licis cõuicijs execrari inciperent. Nobis certè, illud,
 quod summo viro Baronio negatum est, non bona
 fortuna; sed diuina prouidentia obtulit; nempe Pau-
 li Pontificis triginta duas Epistolas; vtinam emenda-
 tiores. Nam codex membranaceus, quo vsi sumus,
 vetustus quidem est; & satis vetusto caractere exara-
 rus, sed vitiosissimè, ita vt minor forsân labor esset sta-
 bulum Augiæ expurgare, quàm omnia exemplaris
 huius mendatollere, quæ emendet, qui in meliorem
 codicem inciderit; nos interim arbitrati sumus, satius
 esse Pauli Pontificis Epistolas, qualicunq; modo, in
 luce versari, quam diutius in tenebris delitescere &
 obsolescere. Quod etiam de Epistolis Hadriani Pon-
 tificis intellectum volo.

Vt porro Lector sciat, quæ Epistola cui summa-
 rio apud Baronium & Centuriatores respondeat, id
ad

ad quamlibet Epistolam annotauimus; vt & in Adriani Epistolis factum: quarum magno desiderio tenebatur Illustris. Cardinalis Baronius, vt ex hac eius oratione apparet Tom. 9. Annalium, Anno Redemptoris DCCXCV. N. I. vbi de Actis Adriani hæc subiecit. *Fuissent tanta ista copiosiore atq; luculentiore stylo narranda, & non ferreo, eoq; obducto rubigine detruncata, nimiaq; breuitate decurtata potius, quam declarata, posteritati tradenda. Sed accessit ad damnum, quod cum quadraginta quatuor eiusdem Pontificis Hadriani Epistolas Vaticana Bibliotheca possideret, ex quibus locupletanda fuisset historia; illis deperditis, earundem fuerint tantummodo argumenta relicta, summam elicita, quorum haustu maiorem sibi sitim lector accendat, ad fontem anhelans, non sine spe, vt aliquando, si quis est earundem bonæ fidei possessor, easdem in lucem prodat, quæ suis singula locis reddantur.*

Ecce, quod vir summus cupidè desiderabat, id iam præstamus, & plures etiam, quam XLIV. huius tantæ Pontificis Epistolas euulgamus; quas etiam Centuriatores vidisse videntur. Nam Centur. VIII. cap. 10. ita scribunt. *Accepimus Adriani 44. Epistolas manuscriptas ad Carolum Magnum, quarum argumenta indicare operæ pretium duximus; qui mox Summaria adducunt, vt & postea à Baronio factum; sed alio ordine Epistolarum, quam in manuscripto Codice, quem nos secuti sumus, inueniatur, vt intelliges ex numero Periocharum, quem ex Baronio & Centuriatoribus ad singulas Epistolas adscripsimus; vt iam antea monui.*

Quanquam animaduerto, Centuriarum artifices in his Periochis seu recitandis, seu conficiendis haud satis bona fide versatos esse. Baronius dicit, se illas exscripsisse ex Onuphrij Panuini de Vitæ Pontificum

Historia, quæ in Vaticana Bibliotheca asseruetur. Unde Centuriatores? Ipsi silent; sed res ipsa loquitur, eos, aut eundem Onuphrianum Codicem vidisse; (quæ enim his Lauernionibus, eorumq; *subadiuuis* & administris Bibliotheca non patuit?) tanta est argumentorum, etiam in verbis, vtrinque similitudo & convenientia; aut si forte Epistolas integras adepti erant; vt certè adepti videntur; Synopses illas Epistolis prefixas in antiquo exemplari reperisse, vt fortassis Onuphrius repererat; & pro more suo, calumnias nonnullas interspersisse; ex quibus sunt istæ: In Summario secundæ Epistolæ Adriani: *Inuocationem sanctorum & primatum Ecclesie Romanæ asserit.* In Summ. quartæ. *Malè citat dictum: Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit. Totus est pro Inuocatione Sanctorum & primatu.* In Summario Decimæ sextæ: *Inuocationem sanctorum tradit. Gloriat, quòd Græcorum naues combusserit plurimas, &c.* In Summario vigesimæ nonæ. *Vberima benedictiones, vel potius adulationes, &c.* In Summ. Quadragesimæ tertiæ. *Totus est pro primatu. Multa scriptura dicta congerit, nihil ad propositum pertinentia.* Denique in argumento Epistolæ ad Egilam: *Abutitur sacra Scriptura testimonio.* Quæ omnia Centuriarum fabri de Sycophantico suo pectore extuderunt; contra mentem eius, qui primus has Periochas concinnauit.

Eiusdem sortis est & illud quo contaminarunt Summarium sextæ Epistolæ Pauli Pontificis. *Petit, vt ad se Legatum suum mittat, per quem possit ei prodere Græcorum consilia & insidias.* Ægrè scilicet his sectariis futurum erat, nisi ex Paulo *proditorem* facerent; substituto *prodendi* odioso verbo, in vicem verbi *aperiendi*, quo Auctor summarij vsus fuerat. At satis de Centuriatorib.

Illud

Illud prætereate nosse velim, mi Lector, me veteris Orthographiæ, non admodum supersticiosam, rationem habuisse; quia fractus non illabetur orbis siue legas *Inlustris. Inluster. Inlicitè. Inlicitè. Irretitus. Importabilis. Imensus. Assumptus* seu *Adsumtus*, *Temptatio*, *Adcreasco. Optimates. Optimus. Amminiculum. Ammoneo. Iocundus. Iocunditas. Dicio. Suboles. Conloqui. Conlocutio. Conroboro. Conlaudo. Obmisi. Cotidie. Isdem*; siue, vt nunc fert consuetudo: *Illustris. Illicitè. Irretitus. Importabilis. Imensus. Assumptus. Tentatio. Accresco. Optimates. Optimus. Adminiculum. Admoneo. Iucundus. Iucunditas. Dicio. Soboles. Colloqui. Collocutio. Corroboro. Collaudo. Omisi. Quotidie. Idem.*

Neq; quidquam causæ est, cur quis Pontificibus diem dicat ob violatas alicubi Grammaticæ leges, incultumq; orationis genus: nam Epistolæ istæ conscriptæ sunt ijs temporibus, quibus Latina lingua in Italia, ob tot peregrinarum gentium immigrationem, ad exitium ruebat. Sed *quid officit, o queso,* (vtar enim verbis Arnobij lib. I, contra Gentes) *aut quam præstat intellectui tarditatem, utrumne quid laue, an hirsuta cum asperitate promatur? Inflectatur, quod acui, an acuatur, quod oportebat inflecti? Aut qui minus id, quod dicitur, verum est, si in numero peccetur, aut casu, præpositione, participio, coniunctione? Cum de rebus agitur ab ostentatione submotis, quid dicatur spectandum est, non quali cum amœnitate dicatur; nec quid aures commulceat, sed quas adferat audientibus utilitates; alioqui necesse erit, vt abijciamus ex vsibus nostris quorundam fructuum genera, quod cum spinis nascuntur, & purgamentis aliis; qua nec alere nos possunt, nec tamen impediunt perfrui nos eo, quod principaliter antecedit, & saluberrimum nobis voluit esse natura.*

Qui

8 PRAEFATIO AD LECTOREM.

Qui elegantiam, & orationis venustatem quærit, is non huc, sed ad M. Tullij, Plinij, Mureti, & similibus Epistolas diuertat. Admodum autem his Epistolis perfectius intelligendis lectio Anastasij Bibliothecarij in Historia Pontificum conducet; præsertim, vbi de illis Pontificibus agit, quorum in hoc Volumine monumenta visuntur. Vitur enim eodem fermè dicendi caractere, & multa vel attingit, vel copiosius exponit, quæ in his itidem Epistolis vel attinguntur, vel fusius exponuntur.

Vnum addo, & verbis compendium facio. Epistolas istas debes, candide Lector, Nobili & Eruditissimo Domino SEBASTIANO TENGNAGEL I. V. D. Cæsareæ Bibliothecæ Viennæ Præfecto, qui eas ad me publicandas humaniter misit. Quo beneficio omnes Ecclesiasticæ historiæ & antiquitatis amantes arctissimo nexu sibi obstrinxit.

Vale, mi Lector, & si salutem tuam consultum cupis, à Sede Apostolica ne discede; aut si discessisti; quamprimum reuertere.

APPROBATIO REVERENDI PATRIS
PROVINCIALIS.

HAs Epistolas Summorum Pontificum, præsertim Pauli I. & Hadriani I. ab Illustrissimo Cardinali Baronio summopere olim desideratas, & nunc primum à P. IACOBO GRETSERO ex tenebris in lucem asfertur, Ego MELCHIOR HÄRTELIVS Societatis IESV per superiorem Germaniam Prouincialis typis mandari permitto, potestate ad id mihi factâ, ab admodum R. P. N. CLAUDIO AQUAVIVA eiusdem Societatis Præposito Generali. Ingolstadij 31. Decemb. M. DC. XII.

MELCHIOR HÄRTELIVS.

Inscri-